



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis  
summis philosophis repetita**

**Scribonius, Wilhelm Adolf**

**Hanoviae, 1593**

**VD16 S 5114**

Cap. II. De Intellectu.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

## CAP. I.

De virtutibus intellectivis.

*Quenam sunt virtutes intellectiva?*

Quæ à naturali & ingenita mentis intelligentia procedunt, & interiore quadam intrinsecus maximè exercentur.

*Ergone alie harum virtutum ratio est quam moralium?*

Est sanè. Hæ siquidem intellectivæ in iis potissimum elucent, qui nativo ingenii acuminè, & singulari industria pollent. Morales vero ab iis etiã comparari & exerceri possunt, qui non admodum sunt industrii.

*Quotuplices sunt virtutes intellectiva?*

Duplices: Aut enim versantur in rerum honesta inquisitione: Aut in negotiis omnibus honeste expediendis.

Illius generis sunt intellectus, scientia & ars. Hujus vero sapientia & prudentia.

## CAP. II.

De Intellectu.

*Quid igitur est intellectus?*

Est habitus principiorum ex quibus argumenta rerum & conclusiones ducuntur.

*Qualia sunt ista principia?*

Sunt κριτηρια, hoc est, naturales notitiæ seu normæ certitudinis & demõstrationis rerum omnium, λόγος & πείρα, seu ἰσότης & ἐμπειρία, id est, Ratio & Experientia. His enim duobus prin-

principiis res omnes tum universales tum particulares demonstrantur & explicantur.

*Quare verò si ratio iudicat res tum universales tum particulares, experientia præter rationem requiritur?*

Quamvis intellectus, sive ratio sit universalium & particulariū rerum demōstratio communis: quia tamen in plurimis sepe rationi experientia cōtraria deprehenditur: idcirco duo hæc principia sigillatim sumenda fuerunt.

*Hæcne igitur duo tantū principia sufficiunt?*

A Stoicis numerantur αἰσθησις, προληψις & νόσις, id est, sensibilis rerum perceptio: anticipatio seu anticipata animi notio, & intellectus consequentiæ. Atqui αἰσθησις ista seu sensibilibus rerum cognitio ad experientiam pertinet. Anticipatæ notiones itemque νόσις seu iudicium aut intellectus consequentiæ ratio rectè subjici possunt.

CAP. III.

De Scientia.

*Quid est Scientia?*

Est habitus demonstrativus perspiciens cōclusiones necessarias per suas causas.

*Quomodo plenius hoc interpretaris?*

Est virtus intelligentiæ qua cognoscimus rerum causas maximè primas & immediatas, quæ nulla demonstratione refutari possint.